



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. Synodus Nicæna à Theodosio, & Ephesina ab altero Theodosio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

& Imperij Lib. II. Cap. X.

83

diti sunt, qui judicant terram; quando, sicut dicit alibi, ipsi & omnes populi laudant nomen Domini. Hanc potestatem legum ferendarum pro fidei & disciplinæ tuitione, summo Christi munere Ecclesiarum concessam fuisse, ex eodem psalmo probat Augustinus, Donatistas increpans, qui de latis adversum se ab Imperatore legibus conquerebantur: Vnde ergo presumimus, inquit, si vultis nosse, illum cogitate de quo Propheta pronuntiavit dicens: Adorabunt eum omnes Reges terre, & omnes gentes servient illi. Et ideo hac Ecclesie potestate uitimur, quam ei Dominus & promisit & dedit. Imperatores enim, si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem leges darent &c. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem jubent. Quod quisque contempserit, ipsi fibi iudicium acquirit. Nam & inter homines paenaruit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit quod ei per cor Regis ipsa Veritas jussit. Ex mox: Si iussiones Regum non pertinent ad predicandam religionem, & sacralegia prohibenda; quare ad Edictum Regis talia jubentis, etiam ipso vos (Donatistæ) signatis?

V. I. Quare non dubitavit Leo Pontifex Leonem Imperatorem his verbis alloqui: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesie presidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, & que bene sunt statuta defendas, & veram pacim iis qui sunt turbata restinas.* Alibi idem Pontifex profiteretur res humanas alter tutas esse non posse, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Quare & Theodosio non solum regium sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudet, ob Synodum Ephesinam indicatam, proscriptosque legibus suis haereticos; Et Marcianum Custodem fidei vocat ob perculsum Eu-tycherem.

VII. Solet ad afferendam Principibus
tuenda Ecclesiæ auctoritatem proferri ce-
lebris illa Constantini ad Episcopos ora-
tio , qua illos intra Ecclesiam , se autem
extra Ecclesiam Episcopum constitu-
tum dixit , apud Eusebium. Sed si hæc
probatio in tetricum lectorum incideret ,
reponere posset , verbis Græcis aliam inesse
sententiam ; quæ ad personas , non ad res
ipsas , sit referenda ; ita ut significetur Epi-
scopos eorum curam gerere qui Ecclesiæ ad-
scripti fidem Christianam profiterentur ; se-
vero Gentilium , qui essent extra Eccle-
siam , salutis consulere , sacrificiis pagano-
rum veritis , dominici diei cultu & feriatio-
ne præcepta , etiam ipsis Gentilibus ; quem-
admodum superioribus & sequentibus ca-

pitibus explicuit Eusebius. Quare satius est ab eo argumento abstinere, præsertim cum manifestiora suppetant. Quod si cui illa Episcopi appellatio arrideat, poterit eam tueri Eusebij auctoritate; qui hunc ipsum Constantimum, Episcoporum Synodus à se indicatis interfuisse, atque rerum in deliberationem vocatarum se participem fecisse, communémque concordiam procurasse scriptis, tanquam *communem Episcopum* à Deo constitutum. Ob eam curam Marciano Augustino acclamatum est à Concilio Chalcedonensi: τῷ ἰερῷ, τῷ βασιλεῖ. *Sacerdoti, Imperatori.* Ecclesiasticorum enim negotiorum statui externo ab illo Principe, quemadmodum à ceteris Principibus Christianis, optimè cautum erat: quorum in eo articulo tanta vigebat auctoritas, ut Socrates scriperit, ab Imperatorum arbitrio, ex quo Christianam fidem amplexi sunt, res ecclesiasticas peperdisse.

VIII. Possem alia quamplurima in eandem sententiam testimonia congerere , quibus probatur ex officio Principibus incumbere ut pacem Ecclesiae tueantur. Sed abstineo à re notissima comprobanda , ut gradum faciam ad ea quæ sunt remotiora à cognitione vulgi, scilicet ad disquisitionem ordinis quo in fide aut disciplina vindicanda utebantur Principes. Id eleganter explicuit Iustinianus in Libello quem Quinta Synodus fibi oblatum probavit ; ita ut testimonium hinc prolatum & Iustiniani & Quinta Synodi Oecumenicæ dici debeat. Ex eo discimus , emergentes hæreses à Principibus compressas , & pacem Ecclesiae constitutam per synodos Episcoporum , quas indixerunt Constantinus , Theodosij ambo , & Marcianus. Sed præterea testatur quæ à synodis definita sunt legibus suis Principes confirmasse : His itaque omnibus per diversa tempora subsecutis , predicti pie recordationis nostri patres , ea que in unoquoque Concilio iudicata sunt , legibus suis corroboraverunt & confirmaverunt , & hereticos , qui definitionibus predictorum sanctorum quatuor Conciliorum resistere & Ecclesiæ conturbare conati sunt , expulerunt.

I X. Cum autem de confirmatione decretorum à Conciliis editorum agitur, distingua sunt ea quae fidem respiciunt ab iis quae de disciplina feruntur. Vis enim eorum quae fidei controversias ex scripturis & antiqua traditione dirimunt, non à Principum sed ab Episcoporum auctoritate pendet; quibus solis pascendas oves, non auctem Cæfari, Christus commisit. Quare solis Episcopis datum est ut de jure cognoscant, scilicet an opinio controversia inter

Eusebius l. 1. de
Vit. Const. cap. 37.
sic ut Knygk
Emperore Ix. 28
regis nuper
etius dicitur
Seb. λεπτοφύλα
ελινηστει.

Conc. Chal, A&G.
V L.

Socrates lib. 5.
Hist. in Procremio.
ἀριστοτελές τε τοῖς
ἰκανοῖς οὐδὲν
μάλιστα ήτοι, εἴ
καπνὸς αφοργήν πε-
πιπτότα τρίτην
τελευτὴν τρέψα-
ντας τούτους.

Conc. v. Collat. t.
Semper studium
fuit orthodoxy &
pius Imperatorius
parvulus nostrarum
pro tempore exor-
tas barecas per
congregationem
religionis suorum
Episcoporum am-
putare, & rella
fidei sincerè pre-
dicata, in pacem
sufflam Dicit Ec-
clesiam cuiuslibet

hæreses recensenda sit. Princeps vero res jam decisas auctoritate sua tuerit, & penas excommunicationis aut regradationis ab Ecclesia irrogatas secularibus penis intendit, scilicet multis pecuniariis, aut exilio, & relegatione, vel etiam ultimo supplicio. Quod attinet ad canones, qui non quidem de fide aut Sacramentorum ritibus, sed de reliqua disciplina feruntur; quia legum perpetuarum vires obtinere debent, & Clericorum immo etiam sapissime laicorum personas respiciunt, ex quibus Reipublicæ corpus componitur, novamque aliquando disciplinæ formam constituant, quamplurimi Principum interest ut ea decreta maturè discutiant, antequam eorum executionem publicam & forensem lege sua indulgeant, ne fortassis aut publicas utilitatis aut tranquillitatì adversentur. Confirmatis autem à Principe canones, vim legis publicæ adipiscuntur: qua necessaria est ut per omnes Imperij provincias executioni traducantur, & si qui contradicant, auctoritate publica coercantur. Confirmatis de fide, decretis, contumacia quidem refragantium legibus plectur, ac si in leges imperatoriaias peccatum fuisset. Sed non indigent ea decreta imperio Principis ut Christianos adstringant, cum jure divino nitantur, quod ceteris omnibus præcellit. Quare cum illa decreta Principes confirmabant, non res judicatas iterum tractabant, sed de consensu Episcoporum, & suffragiorum liberrate ad summum, cognitione extraordinaria inquirebant; ut Theodosij, Marciani, & Basilij exemplis demonstrari potest.

Socrates lib. 1.
cap. 6. Exstat
Constantini con-
stitutio.

Epistola syn. Conc.
Conf. ad Theod.
Conf. αγαπησούσι
την γεννητήν
καὶ μηδέ πάρα
επιθυμεῖν τοις
αγαπησόντες
απεριπλούσι.

X. Obvia sunt confirmationum exempla, si quis etiam ista requirat. Constantinus anathema prolatum à Nicæna Synodo adversus Arrium & ejus consortes, infamiae pena auxit, Porphyrianosque vocari, id est, Christiani nominis osores & hostes, Arrianos jussit, eorumque libros publicè cremari. Sed illius testimoniū proferrere non potest quām epistola synodica Concilij secundi Oecumenici ad Theodosium, qua Patres profitentur se ex officio teneri ad relationem eorum quae in synodo gestae sunt, Principi mittendam, statimque referunt hæreses à se damnatas fuisse, ac præterea quasdam regulas pro disciplina Ecclesiæ constituenda decretas, quas epistola adiungunt, firmarique à Principe obnixè pertinent: *Rogamus itaque tuam clementiam, ut per literas quoque tue pietatis confirmetur Concilium decretum; ut sicuti literis, quibus nos concavisti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum quo decreta sunt obsignes.*

Concilium Ephesinum Theodosium ob.

secreta pro synodo habeat Ioannis Antiocheni Episcopi conventiculum; qui à sacro Concilio secedens, sententiam adversus Cyrrillum & Memnonem tulerat. In eam rem Constantini exemplum proferunt, qui synodi loco non habuit eorum cætum qui à Nicæna Synodo discesserunt, sed eos meritis pœnis ceperit. Quin ex eo capite Theodosium invitant ad confirmandum Concilij Oecumenici decretum, & refellendum Ioannis Antiocheni Conciliabulum, quod ducenti & decem Episcopi unâ cum Occidentis Episcopis in eandem conspirarent sententiam, Ioanni autem tringita tantum Episcopi suffragarentur. *Iubeatis*, inquit, *ut ea que constituta sunt ab Oecumenica & sancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Nestorianos & ejus impium dogma, suum robur obtineant, assensu vestre pietatis slabilita.*

XI. Marcianus Imperator Concilij Chalcedonensis decreta tribus Edictis confirmavit, pœnis in Clericos & laicos adjectis. Ac primum quidem edictum, cum ad synodum accessisset, viva voce decrevit;

testatus patribus, se synodo interesse, non ut vim inferret, sed ut res judicatas & gestas auctoritate sua confirmaret. Quare etiam Edicto secundo testatur se primo Edicto venerandam synodum confirmasse. Quod loquendi genus synodo nequaquam displicuit; quin potius ipsa eundem dicendi modum usurpavit in epistola synodica ad Leonem Pontificem; cui significat ejus sententiam adversus Eutychetem, veluti legem quan-

Concil. Eth. Ad.
v. 120 idem op.
I. 120. 120. 120.
120. 120. 120.
120. 120. 120.
120. 120. 120.

ij Allocutus Minu
ni Consil Chac
Act. Bishenwa
Teli ergr' nai
merdant

Edictum secundum Mariam.
1590. M. Iacobus
I. Regis Anglie de-
cretum ad
yina dilectione
D. The cardinal.

dam, ab Imperatoribus confirmatam. Tertio Marciani Edicto, quæ definita fuerant à Concilio Chalcedonensi, iterum confirmantur, exilij & confiscationis poenâ irrogata; ita ut hæreticis ab urbe regia & civitatibus metropolitanis sit omnino interdictum. Eos autem hæreticos esse definit qui ab Ecclesiæ canonibus & Principum constitutionibus damnati sunt, non quasi damnandæ hæreseos auctoritatem Principibus asserere velit, sed ut omnem tergiversandi locum hæreticis adimeret, qui scirent eos canones ratos apud omnes haberi debere qui Principum legibus essent recepti.

XII. Quod Iustinianus à décessoribus suis factum obsevaverat, ipse legibus suis fecutus est, quas contra Anthimum edidit. Hic ex episcopatu Trapezuntis à Theodora Augulta evocatus, Ecclesia Constantiopolitanæ constitutus fuerat Patriarcha. qua sede primum dejectus Agapeti Pontificis sententia, deinde judicio synodi habita Constantiopolis, ipsa Episcopi dignitate privatus est. Vtramque sententiam Agapeti & synodi lege sua firmavit Iustinianus.